



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Aurora Musis amica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

tat, ornat, efflorescere facit. Eleganter Horatius lib. 4. Od. 2.
 Monte decurrens velut amnis, imbres
 Quem super notas aluere ripas,
 Fervet, immensusque ruit profundo,
 Pindarus ore.

Hinc etiam discis, nullam esse tantam difficultatem, quæ consilio & magnitudine animi superari non possit. Nihilque tam arduum, tamque inaccessum existere, quod ingenij dexteritate attingere, & assequi non queas. Vide Alciati emblemata 14. Unde Bellerophonta dictum putans, quasi *Βυλληφόροντα*, sapientem consultorem vel *τὰ βίλλεγα φέροντα* mala ferentem

III. (c) Præterea Pegasus Aurora à Jove obtinuit; quò significatur vigilantum esse Sapientiam quærenti; est enim, juxta adagium, *Aurora Musis amica*. Sapientissimus regum profatur: *Qui de luce vigilaverit ad illam (Sapientiam) non laborabit; assidentem enim illam foribus suis inveniet* Sap. 6. Est enim tempus matutinum aptissimum disciplinis hauriendis; *assidet quasi Sapientia foribus*, dum ultro affluunt optima sensa menti; quæ alio tempore multo labore conquirenda. Manè corpus omne studijs habilis, caput defœcatum, stomachus exoneratus, tempus quietum, animus à diurnis negotijs vacuus, vegetiores omnes sensus. Hinc aurora in effedo, Pegaso & gallo illud trahente, facem manu extollens pingitur, cum lemmate: *Doctrina præco*. Veteres docebant, ad auroram cum Dijs versandum; quibus illud solenne: *à Jove principium*. Credebant enim Jovem primò manè operam dare hominum audientia. Hinc Æneid. 11. Æneas

Vota Deum primò victor solvebat Eoð.

Id est, principio diei; quod maxime faciendum Musarum cultoribus, quarum, ut *apertas*, quod dicitur, *Iannas habeant*, summo mane pulsent eas. Et Manna illud cœleste Exod. 16. ante solis ortum erat colligendum. Sic dulces litterarum fructus gustantur ab illis, qui surgenti soli vel Auroræ *matutinum* ferunt *Ave*, quod suis olim Patronis Romani clientes factitabant.

IV. (d) Sed cur *alatus* Pegasus, & in cœlum evolans, ibique sideribus additus dicitur? Hic doctrinæ volatus est, præsertim si altera illi sit ala, virtutis scilicet, conjuncta; Pennas addit *Fama*, & gloria in terris propagata. Vennsinus lib. 2. Od. 2.

Illura

(c) *Aurora Musis amica*. (d) *Pegasi in cœlum translatio, & ala, denotant honores litterarum*.